

Johann Huswedel

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Huswedelius, Phil.
pr. Prof. Ad Exequias Quas ... Matronae Annae Lemken/ Uxori desideratissimi,
Dn. Joachimus Drevensted/ viduus moestissimus paratas cupit Omnes omnium
ordinum Cives Academicos ... invitat**

Rostochi[i]: Kilius, 1638


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn773015531>


Druck Freier  Zugang



Huswedel, J.
in
A. Lemke,
uxor. J. Drevensted.
Rostock, 1638.

59





PROGRAMMA
Quo
Rektor Universitatis Rostochiensis
JOHANNES HUS-
WEDELIUS, Phil. pr. Prof.

AD EXEQUIAS

Quas
Honestissima Matrona

ANNÆ Lemken /

Uxori desideratissimi,
Dn. JOACHIMUS Drevenstedt
viduus mœstissimus paratas cupit
Omnes omnium ordinum Cives Academicos ad medi-
am primam in templo S. Petri diligentem
invitat.



ROSTOCHI,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
Anno M. DC. XXXIIX.

Quoties videmus foeminam honesto
& florente conjugio adhuc usam,
viri amantem, liberorum sedula
educatione gaudentem, ex hac vita
per mortem evocari, toties mirari
cogimur stupendam divinæ providentiæ seriem
jusq; humanis quidem animis, inexplicabilem,
rationem. Quid enim causæ esse dicemus, vel
quam saltem comminisci poterimus, quod opti-
mus ille pater humani generis, autor ille conju-
galis ordinis & amoris, dissolvi vinculum illud
mutua animorum affectuumq; conspiratione
adductum & communium liberorum flagrantis-
sima ^{et} atq; cura adstrictum, vel dirumpi po-
tius permittat, cum sint, quos vel animorum per-
petua dissidia vel rixæ & jurgia quotidiana sepa-
rent, mutuisq; diris mortem sibi prius in prece-
tur quam fatalis terminus permittat. Scimus
quidem nihil ab æterna ista mente proficisci pos-
se, quod non summa ratione geratur, nos tamen
eam non assequimur, & per errorem, specie arre-
pta rem ipsam ejusq; causam tenere nos non ra-
ro putamus. Inter ægrotantes rem ita geri vido-
mus ab imperitis, cum alij febrim esse divinent,
quæ sit pleuritis, alij hydropem, quæ tabes, vel ni-
hil omnino horum forte in causa sit, ut æger in-
lecto teneatur, solus vero medicus veram causam
ha-

habeat cognitam, & convenientibus ægritudine
remedijs ad morbum tollendum utatur; Ita pos-
semus causam conijcere vel in mariti mores, vel
in liberorum inobedientiam vel in ipsius mori-
entis intemperantiam vel quamvis aliam, quæ
tamen planè nulla sit, vera soli Deo & hæc & alia
omnia sapienter dispensanti cognita. Desinamus
ergo & hoc in casu rimari ad quod penetrare nõ
possumus, & omnem ei curam permittamus, qui
non tantum ea curat, quæ supra nos sunt, sed &
quæ ante nos tot seculis fuerunt, curavit & post
nos, quæ mox ventura trahentur, curabit. Ecce
enim Insignis pietate & virtute matrona, cui ni-
hil ad matrimonij adeoque totius vitæ felicitatem
defuisse videtur, ANNA Gemfen/in florenti ætate,
florente conjugio, omnium rerum ad vitam ne-
cessariarum copia, ex hac vita discedere cogitur,
nec eam vel amor viri summo, vel caritas libero-
rum retinere potest, quin summi patris atque rerũ
humanarum arbitri vocem audiat potius, ejusque
innuentis voluntati obsequatur. Quæ matro-
na, quam nullas, ut ex humana mente, humana
lingua & more loquamur, à marito, & liberis di-
scedendi causas habuerit, ut appareat, vitam ejus
breviter perstringemus. Nata est ergo hac in ci-
vitate Anno 1603. die 19. mensis Decembris, ex
parentibus honestis, primariis, & quod præcipuũ

est, Christianis. Pater ei fuit Amplissimus & Prudentissimus Dn. HERMANNUS Gemse / Senator gravissimus. Mater ELISABETHA LUSCOVIA, singularis exempli honestissima foemina. Avus paternus Amplissimus & Prudentissimus Vir Dn. JACOBUS Gemse / hujus Reipubl. Consul magnificus ac de ea præclare meritus. Avia paterna matrona honestissima THALIA Beselins. Avus maternus ei fuit Vir Ampliss. Clariss. & Consultissimus Dn. D. MARCUS LUSCOVIUS, Antecessor quondam hujus Academiæ & Professor Codicis, Facultatis Juridicæ Senior, Vir spectabilis. Avia materna, matrona itidem honestissima ELISABETHA KIRCHOVIA, ex veteri hujus urbis & primaria familia. Ex his primariis & Christianis parentibus in hæc lucem edita & per Sacramentum baptismi renata ac mystico corpori Christi, quod est Ecclesia, inserta, curam parentum sortita est, quippe unica filia, singularem ac præcipuam, ut à teneris annis ijs virtutibus imbueretur, quæ ordinem virginalem, deinde matronalem præcipuè ornant. Cum enim pietas & pudicitia cæteris antecellant, illarum studia ante alias omnes sectata coluit. Cura quidem rei domesticæ, lanæ ac lino inpenso opera, aut si quid ejus generis amplius honestam virginem decet, suam laudem apud omnes merentur; Si tamen pietatis cultu & modestiæ desti-

stituantur, non est, quod multum de suo precio
gloriarı possint, His igitur cum in isto statu o-
peram daret atq; ætatem virginalem transigeret,
Anno Domini 1625. ætatis autem 22. die 3. Janua-
rij, factum est, primaria divinæ providentiæ cura;
deinde maturo parentum & propinquorum cõ-
silio, ut in matrimonium rite & caste daretur, ho-
nestissimo Viro & hujus Reip. civi primario Dn.
JOACHIMO Drebensted/ Templi S. Petri Provifo-
ri & sedecim viro prudentissimo, nunc ob defun-
ctam conjugẽ viduo moestissimo, Hoc in cõjugio
auspicatè inito vixit illa cum carissimo marito
ad annos quatuordecim; & ita vixit, ut amorem
& concordiam conjugalem, nulla unquam lite,
nullo jurgio tentata aut labefactam, divina
benedictio sequeretur, ac domum quidem opu-
lencia, thalamum vero liberorum octonũm flore
ornaret ac inpleret. Septem enim filios marito
fæcunda mater peperit, & filiam unam, quæ ta-
men cum uno ex fratribus admodum tenera ex
hac vita discessit, sex reliquis apud parentes su-
perstitibus. Atque ita quidem apud maritum vi-
xit; nec sanè aliter poterat, quæ omnem ætatem
in pietate agenda & liberis pie educandis, aliaq;
pietatis opera obeundo consumserat, Quantæ n.
pietatis esse dicemus, non tantum assidue & fre-
quenter sacris concionibus interesse, quantũ per


valetudinem, non semper commodam, licebat,
sed & liberos ex concione Ecclesiastica domum
reversos examinare & quæ didicissent, ab ijs re-
petere ac instar pensi vel crediti exigere? Quæ e-
xercitatio tantas in animo ejus radices egit, ut in
morbis, præcipuè hoc postremo, nulla vis tanta
fuerit, quæ eas convellere vel movere saltè posset.
Imo ex istis radicibus producti sunt, non solum
flores sed fructus bona arbore digni, ut sunt fides
vera in Deum, caritas erga proximū vera nihil si-
mulans, patientia in ærumnis nihil murmurans,
manus minimè parca erga pauperes & restricta,
comitas erga propinquo & vicinos, mansuetudo
erga familiam, & quæ plures in illo choro virtu-
tes inveniuntur. Verum hanc arbusculam Chri-
stianæ virtutis, hortulanus providus & peritus vi-
dit putandā & purgandā esse, ne sylvesceret. Hinc
ægritudines corporis frequentiores non permit-
tentes, ut in securitatem prolabatur animus & ex
ea, in ipsius Dei oblivionem: præcipuè hoc anno,
mense Sept. correpta est febris continua haud le-
viter: cujus illa cum sentiret vim & incrementa,
ante omnia cælestis medici opem sibi imploran-
dam & comparandam censuit. Ejus igitur accer-
sito ministro, Rev. Viro Dn. M. ELIA TADDELIO,
animā cælesti nectare & ambrosia corporis & san-
guinis dominici, reficiendam obtulit, & voto po-
tita


tita plus eo etiam impetravit: Siquidem cum va-
letudine meliori in gratiam redire aliquo modo
cepit, Deo, medicamentis vim & efficaciam aspi-
rante, ita ut officiis domesticis fungi posset, ac o-
mnibus bonā spem valetudinis restituendæ præ-
beret, qua marito liberisq; diutius etiam ad esse
& præesse posset. Verū haud diu induciis parum
fidis gavisa est, siquidem die 6 hujus mensis mor-
bus etiam acrior nihil tale expectantem denuo
invasit & occupavit, ijs viribus & incrementis, ut
in corpore adfflicto ac viribus defecto, neq; ars
Medici, neq; remediorū vis quidquam valeret,
morbo superante & ad finē vocante. Igitur Ma-
trona pia, modesta, viri & liberorum amans, ubi
bonam in hac vita militasset militiam, retinens
fidem & bonam conscientiam inter suas & suorū
preces, lacrimas, suspiria animam beatam exha-
lavit & in Christi Redemptoris manus commen-
datam depofuit, die 21 Novembris, videl. Mercu-
rij inter 5. & 6. matutinam, postquam vixisset an-
nos 35. minus mensib. 4. Hæc ergo matrona, quæ
& ipsa haud dubie, si Deo placuisset libenter cū
conjugæ & liberis in hac vita mansisset, quā con-
jux & liberi ægerrimè dimittunt, propinqui desi-
deratam lugent ac lacrumis prosequuntur, cur
obiit morte tam immatura? cum aliæ maneat in
vita non maturiores tantum, sed ad vitam quoq;
de-

degendam inutiliores. Nihil est quod nos moveat vel
hujus beatæ vita marito & liberis optanda, vel aliarum,
terræ ponderum inutilium, vilis maturitas, divinæ
providentiæ series hæc ordinat, curat, efficit; Ea uti
ante annos 35 hanc filiam parentibus, ante annis 14.
hanc marito dederat, ita nunc eandem ad se re-
vocavit datam, quasi ante tot annis depositum
à parentibus & marito repetisset; *ἵνα γὰρ θεῶν ἔχοντες ἐπι-
μέλῃμεθα, ὅταν δὲ χρῆζωσ' αὐτῆ ἀφαιρέσθαι πάλιν.* Curamus à
Deo creditas nobis opes, Arbitrio reposcit ille quas
suo. Licuit semperq; licebit cuilibet creditori suum
repetere, quidni liceat summo creditori Deo? Nostrum
est, cives Academici, tam piæ, tantis animi & fortunæ
ornamentis dotatæ matronæ extremum hunc exe-
quiarum honorem tribuere: postulant hoc ipsum avi
Consulis & patris Senatoris in hanc Academ. & Ci-
vitatem merita: postulat jure meritoq; alter avus Lu-
schovius, vir tanto melius de hac Rep. nostra litera-
ria meritis, quanto diutius in ea Studiosam juventu-
tem, voce, exemplo, scriptis docuit. His æquum est,
quamlibet pridem defunctis, nostram ut gratitudinē
hac occasione declaremus & præsentia nostra, quan-
tum fieri potest frequentissima funus ornemus: idq;
in templo S. Petri hora media prima conventuri.

P. P. Rostoch. sub sigillo Rectoratus die 24.

Novembris, Anno 1638.





stituantur, non est, quod multam
gloriarı possint, His igitur cum
peram daret atq; ætatem virginalē
Anno Domini 1625-ætatis autem 2
rij, factum est, primaria divinæ pro
deinde maturo parentum & propi
filio, ut in matrimonium rite & cas
nestissimo Viro & hujus Reip. civi
JOACHIMO Drevensted/ Templi S. Pe
ri & sedecim viro prudentissimo, nu
ctam conjugē viduo mœstissimo, H
auspicatè inito vixit illa cum cari
ad annos quatuordecim; & ita vix
& concordiam conjugalem, nulla
nullo jurgio tentata aut labefacta
benedictio sequeretur, ac domum
lentia, thalamum vero liberorum o
ornaret ac inpleret. Septem enim
fæcunda mater peperit, & filiam ut
men cum uno ex fratribus admod
hac vita discessit, sex reliquis apud
perstitibus. Atque ita quidem apud
xit; nec sanè aliter poterat, quæ om
in pietate agenda & liberis pie educ
pietatis opera obeundo consumera
pietatis esse dicemus, non tantum a
quenter sacris concionibus interess

H 3

